



## **Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales**

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacrosancto Missæ Sacrificio Decisiones

**Chiericato, Giovanni Maria**

**Augustæ Vindelicorum, 1730**

Decisio VIII. Argumentum. Redditur ratio, ob quam dictum est in definitione Sacrificii, quòd in eo Res aliqua sensibilis, & permanens consecratur, nempè Hostia, vel Victima: Quæ sit horum nominum ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94659)

liere de Tribu Levitica. Hanc opinionem proficitur etiam Cardin. Toletus *super Luc. cap. 3. Annot. 58. in fine.* Et illum refert Torniel. *ad annum Mundi 2987. num. 6.*

Quinta est opinio; quod mortuo Mathano patre Jacobi, & Avo Sancti Josephi Sponsi Deiparæ, ejus Uxor, quæ vocabatur *Esstha* nupsit *Melchi*, cum quo genuit *Heli*; ita ut *Heli* & *Jacob* pater Sancti Josephi, erant fratres uterini, nati ex eadem Matre *Esstha*. *Heli* duxit uxorem, sed mortuus est sine prole; quare *Jacob* ejus frater uterinus juxta legem Hebræorum eandem mulierem in uxorem accepit ad suscitandum semen fratris; & ex ea generavit S. Josephum Sponsum Deiparæ, quæ quidem fuit carnalis filius Jacobi, prout eum describit S. Mathæus; sed fuit filius legalis prædicti *Heli*, ut eum nominat S. Lucas. Igitur; vel quia *Esstha* uxor Mathani fuit de Tribu Sacerdotali, & Levitica, vel quia de hac eadem Tribu fuerat uxor tum *Heli*, tum Jacobi, Mater S. Josephi; sequitur in eum diffusam esse utramque stirpem Regiam, & Sacerdotalem; & utraque tanquam agnatum, & condecoratum fuisse S. Joachimum. Hæc opinio inicitur auctoritati Julii Africani, nobilis, & antiqui scriptoris de anno scilicet 222. qui in Epistola ad Aristidem, (cujus fragmentum habetur apud Eusebium *Ecles. Hist. lib. 1. cap. 3.*) refert quæ de Matrimonio *Esstha* in primis, & secundis votis supra diximus; eundemque Africanum commendari à multis SS. Patribus advertit Emin. Card. Capisucchi *d. Comrov. 17.* & de eodem loquitur S. Thom. in 3. p. q. 31. art. 3. ad 2. Ricciolius *d. tom. 1. Chronolog. Reform. lib. 8. c. 18. num. 26.* & Azor. *Instit. Moral. part. 2. lib. 1. cap. 19. quæst. 6.*

Sexta opinio est, Jacobum naturalem Patrem fuisse S. Josephi; *Heli* autem non Patrem, sed Socerum, quia S. Joseph duxit filiam *Heli*; id est Sanctissimam Mariam Virginem; Socii enim dicuntur etiam Patres, & generi dicuntur etiam Filii. *Heli* autem & *Joachim* sunt idem nomen, ut probat ipsemet Ricciolius in *Chronolog. Ref. d. tom. 1. l. 3. cap. 18. num. 28.* ubi pro hac opinione citat viginti Auctores; ex qua sequitur S. Joachimum & S. Josephum esse de iisdem Tribubus Regia David per lineam Paternam, & Sacerdotali per lineam Maternam, & utramque ex S. Joachimo Patre in se traxisse Deiparæ, & ex ea Christum Dominum.

Septima tandem opinio, quæ clarior, verior, & probabilior cæteris mihi videtur, ea est; quod utraque stirps collata est in Sanctissimam Virginem Matrem Dei MARIAM ex ejus Sanctis genitoribus Joachimo & Anna; quandoquidem ipse Sanctus Joachim fuit de Regia stirpe David, ut testatur S. Joannes Damascenus, & probatum est supra in prima opinione; Sancta vero Anna fuit de Sacerdotali stirpe. Pro intelligentia sciendum; quod, ut scribit S. Hippolytus Martyr, (qui obiit anno 220.) relatus à Nicephoro *Ecles. Histor. lib. 2. cap. 3.* & à Torniel. *ad annum Mundi 4037. num. 4.* Mathan Sacerdos de Maria uxore sua genuit tres filias *Mariam, Sobam, & Annam*. Prima nupsit Cleophæ; ex quo genuit aliam Mariam. Secunda nupsit alteri Sacerdoti, & peperit S. Elisabeth, ex qua, & Zaccharia ejus conjugis natus est S. Joannes Baptista. Tertia, id est Anna, nupsit S. Joachimo, & ex eis nata est Deipara. Idcirco, quia S. Joachim erat de Tribu Judæ; & de Regia familia David; Sancta autem Anna orta erat de Sacerdotali, & Aaronica stirpe; utraque stirps transfusa fuit à prædictis Sanctis Genitoribus in Beatissimam Virginem Mariam ejus filiam, de qua natus est

Jesus Christus; cujus propterea caro propagata fuit, tam è Regia, quam è Sacerdotali stirpe. Ita ex S. Hippolyto Episcopo Pontuensi, & Martyre tradit Nicephorus *lib. 2. Hist. Eccl. cap. 3.* Barradas *tom. 1. in Evangel. lib. 5. cap. 2.* Azor. *part. 2. cap. 19. q. 4.* & Ricciolius *d. lib. 8. c. 19. num. 12.*

Duo tamen sunt corollaria notanda pro conclusione præsentis Decisionis. Unum, quod apud Hebræos mos erat in libris publicis ad hoc deputatis, & servatis in Templo, describere, & notare omnia Matrimonia, quæ inter ipsos celebrabantur, exprimendo nomen conjugum, eorum genitorum, & Tribuum, de qua nati erant. Ita Card. Baronius in *Apparatu ad Annal. pag. 33.* ubi citat Josephum Flavium *contra Appionem lib. 1.* sic testantem: *Mittunt Hierosolymam conscribentes à patre nomen nuptæ, & antiquorum progenitorum.* Et idem notare Abulens. in *cap. 1. March. quæst. 26.* allerit Serlogus *d. tom. 1. in Cantic. Antel. q. 5. sect. 2. num. 14.* Subdens, quod Breviculi generationum in Templi Sacro asservabantur, ut habetur *1. Esdr. 2. nec non, 2. Esdr. 7.* ex quibus facile erat Scribis & Doctoribus cognoscere lineam, ac prosapiam cujuscunque familie.

Alterum Corollarium est, quod Christus Dominus est, ut homo, propagatus suetiam ex Tribu Levitica per lineam maternam; tamen non fuit Sacerdos, aut Pontifex unctus sicut Sacerdotes Molaycæ legis, sed alio singulari, & supernaturali modo, unctione Divina, per Unionem Verbi cum Humanitate; ut optime disputat Apostolus *ad Hebræos cap. 7. 8. & 9.* & doctè probat idem Emin. Card. de Lauræa *de Incarnat. d. disp. 22. art. 1. & 2.* & eruditè Collegium Salmanticense. eodem tract. *de Incarnat. tom. 10. disp. 31. dub. 2. §. 1.* ubi ex auctoritate SS. Patrum ibidem citatorum concludit; Christum Dominum fuisse quidem ex linea Materna etiam de Tribu Levitica; sed hæc non satis erat ad constituendum Sacerdotem, & dat exemplum Regis Ozæ, qui cum esset de Tribu Judæ ex patre, sed secundum lineam Maternam fuisse de gente Sacerdotali, graviter à Deo fuit percussus, quod exercuit munus Sacerdotis adolendo incensum, quod etiam observavit Suarez in 3. part. S. Thom. *tom. 1. disp. 46. sect. 3. §. dico secundo.*

## DECISIO VIII.

## ARGUMENTUM

Redditur ratio, ob quam dictum est in definitione Sacrificii, quod in eo Res aliqua sensibilis, & permanens consecratur, nempe Hostia vel Victima: Quæ sit horum nominum Etymologia? Quæve, & quot essent Hostiæ, & Victimæ, quibus litabant antiqui tam veri, quam falsi adoratores? eleganter declaratur.

## SUMMARIUM.

- 1 Hostia, quæ mactabatur in Sacrificio, cur sic dicta?
- 2 Focolaris unde sic appellatus?
- 3 Victima, quamnam esset?
- 4 Dies festi quare apud Romanos dicti sint ferie?
- 5 Sacrificium in quo differat ab aliis actibus adorationis latræ?

- 6 *Victima quanam litarentur in Lege Naturæ à veris adoratoribus?*  
 7 *Victima in Lege Mosayca quanam essent pro Sacrificiis?*  
 8 *Judaïs non erat licitum sacrificare homines.*  
 9 *Jephthæ Filia an metaphoricè, vel realiter litata?*  
 10 *Hostiæ inanimæ quanam erant apud Hebræos?*  
 11 *Ægyptii non sacrificabant pecudes.*  
 12 *Romani quàm multiplices Victimâs sacrificarent?*  
 13 *Gentiles etiam humanas Victimâs mactabant.*  
 14 *Victima in Sacrificio legis gratia est Corpus, & Sanguis Jesu Christi Filii Dei sub speciebus panis & vini.*  
 15 *Eucharistiæ Sacrificium nullus hereticorum impugnavit usque ad duodecimum seculum, præter Manicheos, & Berengarium.*

POST hucusque explicatas particulas definitionis Sacrificii, sequitur in ea, quòd dum sacrificatur, *Res aliqua sensibilis, & permanens Deo consecratur.*  
 1 *Hæc autem res ex inveterato usu loquendi vocata semper fuit vel Hostia, vel Victima; & erat animal illud, quod mactabatur in Sacrificio, & dicebatur Hostia, vel quia immolabatur à Ducibus, ad bellum proficiscentibus pro impetranda victoria contra hostes: aut quòd jam profligatis hostibus mactari solebant ab eo, qui potitus erat victoria, juxta id, quod cecinit Ovidius in lib. 1. Fastor. Hostibus à domitis Hostianomen habet.*

Festus autem arbitratu est, *Hostiam* propriè dictam fuisse Sacrificium, quòd à Romanis immolabatur Laribus Diis, eò quòd hostes ab illis arceri putabant; unde & ipsi Dii Lares *Hostioli* dicti sunt, videlicet familiares, domestici, & tum in viis, tum in domibus, & in quacumque parte domus ad ejus tutelam insidentes, unde etiam hæc vox *Focolare* ita dicebatur, 2 quasi *Focus laris*. Alii verò putant *Hostiam* denominari à verbo antiquo *Hostire*, quòd significat *ferire*; eo quia *Hostiæ* litandæ super Altare feriebantur, ut observat Vossius in *Etymologico lingua Latine in verb. Hostia, & in verb. Hostio*; ubi id auctoritate, & carminibus Poetarum veterum confirmat & plura notat etiam Magr. in *Hierolexic. verb. Hostia*.

Sed vocabatur etiam animal sacrificandum *Victima*, à manu victrice, quæ Sacrificium offerendo illam litabat; & ideo propriè illa erat, quam Dux exercitus post triumphum dextra Victrice immolabat; quòd innuit idem Ovid. d. lib. 1. Fastor. dicens:

*Victima, quæ dextra cecidit victrice, vocatur.*

Ita ut secundum Gellium hoc esset discrimen inter *Hostiam* & *Victimam*; quòd à quovis Sacerdote *Hostia* mactari posset; *Victima* verò tantum ab eo, qui hostes vicisset. Et quoniam *Victimæ*, ut plurimum feriebantur festivis diebus, & quo die solemne *Victimarum* Sacrificium fiebat, erat dies festus; 4 inde factum est apud Romanos, ut dies festi dicerentur feriæ, à feriendis Victimis, quòd observat Forestus in *Mappamundo tom. 2. lib. 15. cap. 9. §. 2.* ex Macrobio *lib. 2. Dier. Saturnal. cap. 16.* Sed & aliam differentiam notat Vossius, ubi supra in *verb. Victima*; quòd *Victima* erat *Hostia* magna, ut *Vitulus*; *Hostia* verò erat minor, ut *Agnus*, quare Cornelius Fronto sic ait:

*Victima major est, Hostia minor.*

quòd etiam affirmat Isidorus ibidem citatus.

Igitur hæc *Hostia*, seu *Victima* intelligitur per illa verba in definitione Sacrificii posita. *Res aliqua sensibilis, & permanens*; quæ quidem consti-

tuit essentialè differentiam inter hunc præcipuum actum latriæ, & adorationis Dei, vocatum *Sacrificium*; & alios actus adorationis latriæ, qui verè, & propriè non sunt Sacrificia; eo quia non constituent in *Re sensibili permanente*; sed in actibus transitoriis, non permanentibus, ac de sui natura evanescentibus, & transeuntibus, quales sunt illi, quos enumeravimus supra in *Decif. 6. num. 13. & seqq.* videlicet Genuflexiones, Prostrationes, Detractiones capitis, Elevationes manuum; piæ osculorum impressiones, Laudationes, Processiones, & similia; quæ quidem sunt actus latriæ, & Deo exhibentur, sed non sunt Sacrificia; hæc enim de sui essentia requirunt, ut fiant *in re, & cum re sensibili ac permanente*, qualis est *Hostia, & Victima*; ut subtiliter disserit Mastrus in 4. *Sent. disp. 4. num. 68. & in sua Theolog. Morali disp. 19. num. 31.*

Sed dicet aliquis: quænam erant *Hostiæ, & Victimæ*, quas adhibebant antiqui, dum sua Sacrificia offerrent? Respondetur, distinguendo veros adoratores Dei à profanis, illosque considerando vel in lege naturæ, vel in lege Mosayca.

*Victimæ*, atque *Hostiæ* litatæ Deo in lege naturæ à veris adoratoribus, fuerunt oves, & agni, & quidem pulcherrimi, quas & quos obtulit Abel, ut legitur in *Genes. cap. 4. num. 3.* Et Fructus terræ, quos in Sacrificio dedit Caim, ut ibidem habetur; de quibus ego locutus sum in *libro primæ ætatis Mundi serm. 12.* ubi hæc carmina signavi, primum de Abele; alterum de Caim; videlicet:

*Sacrum pingue dabo: macrum non sacrificabo.*

*Sacrificabo macrum, non dabo pingue Sacrum.*

Post diluvium Noe sacrificavit pecora munda, & volucres, ut legitur *Gen. 8. 20.* Abraham, loco Isaaci filii sui, obtulit arietem. *Gen. 22. 2.* antea verò Vaccam triennem, arietem, columbam, & turturam. *Gen. 15. 9.* Melchisedech obtulit pro Sacrificio Panem & Vinum. *Genes. 14. 18.* De reliquis autem Patriarchis, Isaaco, Jacobo, Josepho, ac Jobo; etiam Scriptura Sacra referat, eos pluries sacrificasse, non tamen exprimit *Hostias, Victimæque*, quas mactaverint.

In Lege autem Mosayca *Hostiæ, Victimæque* pro Sacrificiis dividebantur in duo genera; aliæ enim 7 erant animatæ, aliæ inanimatæ. *Victimæ*, quæ habebant animam, pariter erant aliæ de volatilibus, aliæ de quadrupedibus. Volatilia erant duo tantum, quæ possent pro Sacrificio offerri; nempe *Turtures & Columbe*, ut legitur in libro *Levitic. cap. 1. num. 18.* His tamen addebantur *Passeres* præscripti pro Sacrificio leprosis mundatis *eod. lib. Levit. cap. 14. 49.* Quadrupedia erant vel de majoribus, videlicet *Bos, Taurus, Vitulus*, tam masculi, quam femina; vel erant de minoribus, & in his computabantur *Oves, Arietes, Agni, Hirci, Capra, & Hædri*; Quibus tantum fas erat Hebræis uti pro Sacrificiis; eò quia omnia quadrupedia prædicta munda erant; & eorum mundities consistebat in unguibus divisis, & in tuminatione, de quibus pariter locutus sum in *eodem lib. primæ ætatis Mundi serm. 15. pag. 124.* Sed neque pisces immolare licitum erat Hebræis. Abulen. in *Levit. cap. 1. q. 13.* vel quia diu vivere extra aquam non valent, vel quia eos capere ad suum libitum homo non potest; vel quia muti, aut nimis luxus causa, ut disserit Andr. Cirtinus de *Piscibus lib. 2. part. 1. cap. 15.* Porro de

Vola-

Volatilibus, & quadrupedibus Victimis, quibus utebantur Hebræi in Sacrificiis doctè tractat in suo elegantissimo tractatu de *via Fidei ostensa Judæis* Julius Maurocenus tom. 1. part. 2. cap. 21. pag. 379. ubi advertit iisdem Judæis minimè licuisse mactare hominem, illumque Victimam facere pro Sacrificio. Idcirco Historiam filie Jephthæ, quam ejus Pater sacrificavit, metaphoricè esse intelligendam ait, non autem de reali ejusdem filie occisione, & mactatione; sed plenius de hac filia Jephthæ legendi sunt Serarius in *lib. Judic. cap. 11. quest. 17.* Saliarius ad annum Mundi 2850. & Menochius in *Storæis Centur. 1. cap. 45.*

Hostiæ tandem inanimæ apud Hebræos erant similia, id est flos Farinæ, Panis azymus, & diversimodè coctus, Sal, Oleum, Vinum, Incensum, primitiæ frugum, ac fructus arborum, de quibus Tirinus in *Levit. cap. 2.* idem Julius Maurocenus cit. cap. 21. pag. 379. & nos infra Decif. XXVII.

Apud falsos Adoratores, id est apud Ethnicos, Paganos, & Idololatrias multò plures fuerunt Hostiæ ac Victimæ, quas falsis Idolis suis litabant, exceptis Ægyptiis, apud quos permillum non erat pecudibus, aut sanguine Deos placare, sed solis precibus, & thure, si credimus eidem Macrobio *lib. 11. Saturnal. cap. 5.* relato per Tholofan. *Syntagm. Jur. lib. 1. cap. 8. n. 7.* Et exceptis Pythagoricis, qui à sacrificandis animalibus abstinabant, ob creditam animæ rationalis transmigrationem in corpora animalium; ut eruditè demonstrat Andr. Cirinus de *Natura Animal. lib. 1. cap. 14. cap. 15. & cap. 16.* apud Romanos verò, à quibus totius orbis superstitiones amplexatæ erant, nec pluralitatem Deorum gentilium, nec cultum simulacrorum, & Sacrificia, ac victimas ullam habuisse rationem ex Varone, Platone, & aliis scribit Matth. Wesembec. in *Isagoge in lib. 1. Insuper. num. 4.* adeo, ut præter animalia, quibus pro victimis utebantur Hebræi, immolabant Romani, alique gentiles;

inter quos Persæ, Mælagetæ, & Græci etiam canes, cervos, equos, capros, lues, verres, lupos, & asinos; nec non ex volucris anseres, gallinas, & gallos, præter alia plurima recensita ab Ovid. *lib. 1. Fastor. & à Franc. Serra de Synonymis verb. Sacrificia veterum*, ubi tradit, consuevisse eosdem gentiles Hostias, & Victimam jugulandas super Altaribus, si Diis superis erant offerendæ, candidis & rubicundis floribus coronare, quod si litandæ fuerant Diis Marinis, aut infernis, cœruleis floribus decorare. Porro alias gentes consuevisse sacrificare Thynum, Anguilam, variosque pisces tradunt Athenæus *lib. 7.* & M. Varro *Rei rustice. lib. 3.* At horrendum dictu, adeo gentilium cæcitas excreverat, ut pietatis titulo impia Sacrificia Idolis suis offerrent, scilicet victimas humanas, & inter hæc etiam proprios filios, de quibus videndus Saliarius ad annum Mundi 3139. n. 78. *Schol. 5.* & Alexander ab Alex. *lib. 6. cap. 26.* & tales erant Phœnices, & Rhodii, Blemmyæ, Cimbri, Galli, Druidæ, & Germani, quorum crudelitatem imitati etiam sunt Romani; sed eam proseripsit Senatus anno ab urbe condita 656. Cofs. Cneo Cornelio Lentulo, & Publ. Licinio Crasso; ut refert Plinius *Natural. Histor. lib. 30. cap. 1.* Saliarius ad annum Mundi 3957. num. 6. & Narbona de *Ætate hominum anno primo quest. 10.* Sed de his nefariis Sacrificiis loquar inferius Decif. XXI. n. 28. ubi lector curiosus recurret.

In Lege autem gratiæ, in qua ex Dei ineffabili clementia nos Christiani vivimus, Victima incruenti Sacrificii, quod quotidie Sacerdotes Sanctissimæ Trinitati offerunt, est Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi; sub speciebus Panis & Vini;

juxta potestatem ab eodem Christo tanquam Pontifice, & Sacerdote Summo, à Deo Patre constituto, in æternum, Ecclesiæ suæ traditam; de quo Sacrosancto, & incruento Sacrificio in his Decisionibus agimus, atque de eo, præter Concil. Trid. *sess. 22. & sess. 23. cap.* ubi ita definitum est de fide, agit S. Thom. 3. p. *quest. 83.* plenèque differunt Maltrius in 4. *sent. disp. 4. q. 4. per totam.* Et in Theologia Morali *disp. 19. q. 3. art. 1.* Emin. Card. de Lugo de *Eucharistia disp. 19. sect. 1.* Et novissimè Richardus Ardekin in *Theologia Tripartita tom. 1. tract. 2. capit. 5.* Alphonsus Mendelius *tom. 2. lib. 11. cap. 1. in suo opere Lux Fidei*, nec non Gregor. Ivenin, in eruditissimo *Commentario Historico, & Dogmatico de Sacramentis Dissert. 5. quest. 1.* ubi observat, nullum è Christianis, qui Manichæismo, aut Berengariano errore non laborarit, ante duodecimum sæculum negasse, sacram Eucharistiam esse verum legis novæ Sacrificium, adeo ut neque hæreticos Valdenses, neque Joannem de Hus, etiam alios errores professos, Sacrificii Eucharistici veritatem impugnasse; ut ex antiquis & probatissimis Doctoribus ac Historiis demonstrat ipse Ivenin. *d. cap. 1. num. 1. 2. & 3.* ubi subdit anno 1523. Lutherum omnium primum Eucharistiæ Sacrificio infestissimum bellum indixisse in variis libris, quos in lucem edidit: & apud Helveticos, suadente Zuinglio, Magistratum Civilem, sacrarum litterarum scientia vacuum, Missam penitus abrogasse; quod actum est etiam apud Geneveses, instigante Calvino. In Anglia verò, licet Rex Henricus VIII. ab Ecclesia Catholica discessisset, & sibi primatum Ecclesiasticum arrogasset, nihil tamen immutavit in Liturgia, & Sacrosancto Missæ Sacrificio. Porro ipso defuncto, & regnante Eduardo VI. circa annum 1549. à Proceribus Regni, ad Comitia generalia adunatis, etiam laicis hominibus, definitum fuit, Eucharistiam Sacramentum quidem esse, non verò Sacrificium novæ legis; quamvis contrarium contestentur tot, & tanta testimonia utriusque Testamenti, innumera Conciliorum, ac SS. Patrum decreta & dicta, & usus incommutabilis tam apud Latinos, quam apud Græcos offerendi Deo Sacrificium in Missa, in qua Hostia & Victima pretiosa, ut dixi, est Corpus & Sanguis Christi; quod concludentissimè probat Emin. Card. Bellarmin. in *Controvers. Fidei tom. 3. lib. 5. de Eucharist. & lib. 1. de Missa. Ardekin. d. tract. 2. capit. 5.* Et Ivenin. *d. Dissert. 5. quest. 1. cap. 2.* per plures Articulos ac Paragraphos.

## DECISIO IX.

## ARGUMENTUM.

Explicantur sequentia definitionis verba: *Ritu Mystico consecratur*; Declaratur, qui & quot sint Ritus Sacri servandi in Sacrificio Missæ. De Origine, Varietate, Necessitate, & Utilitate Uniformitatis Sacrorum Rituum. Et an in Ecclesia sit potestas discernendi Sacros Ritus, & imperandi eorum uniformem observantiam. De Ritibus in Missa vetustis PP. Ord. Prædicatorum, Carmelitarum, & Carthusiensium.

SUM.